

Leo, lupus et vulpes

Leo, iam senex¹, aegrotus in silva iacet. Prope magnum animal multae ferae sunt: nam leo a ceteris animalibus honoratur. Vulpes sola abest. Tum lupus (nam in vulpem odium habet) vulpem ante leonem accusat: «Vulpes reverentiam² in dominum suum non habet: itaque ad leonem aegrotum non accurrit». Tum adit vulpes, quae haec perfida verba lupi audit. Leo iratus iam ante perterritam vulpem dentes ostendit et ungues extrahit³, sed vulpes dicit: «Sero⁴ venio, sed causa morae⁵ est mea magna reverentia et amor, quem ad leonem, dominum nostrum, sentio».

Tum leo, placatus, eam interrogat: «Quae est haec causa?». Vulpes respondet: «Remedium tibi quaerebam⁶ et nunc habeo. Hoc est: lupum occide, de eius corpore pellem detrahe et in umeros tuos pone, si vis convalescere⁷». Statim leo lupum petit et miserum animal unguibus et dentibus occidit. Cum vulpes lupum mortuum videt, laeta dicit: «Odium lupi contra me causa est eius mortis, malum est et improbi semper puniuntur!».

(Anna Bongiorno)

¹ *senex* ☐ *iuvenis*

² *reverentia* = “rispetto”

³ *traho, is, ere* da solo significa “tirare, trascinare”: quali valori vengono dati dai prefissi *elex, de*?

⁴ *sero* = tardi

⁵ *mora* = ritardo

⁶ 1^a pers. sing. imperfetto

⁷ *convalescere* = “guarire”